SPECIES ROBORANTES.

R. Specierum adſtringentium.
— cephalicarum aa Mj.
Miſceantur.

Usus. *Poſſunt exinde cum vino rubro parari fomenta, quæ partes relaxatas roborant. Subinde additur alumen vel ſaccharum ſaturni.*

SPECIES PRO GARGARISMATE.

R. Hb. plantaginis.
— prunellæ aa ℥j
— ſalviæ ℥ij.
— equiſeti ℥ß.
flor. balauſtiorum.
— roſarum rubr. aa ℥j.
C. m. d.

Usus. *Decoctum harum ſpecierum cum melle roſaceo anginam incipientem diſcutit.*

FOMENTA HUMIDA.

Fomentum humidum eſt liquor medicatus, qui

qui ope lintei quadruplicati calidus vel frigidus parti morbosæ superimponitur.

Materies fomenti est omne liquidum medicatum. Maxime decocta vel infusa huic scopo idonea sunt.

Quantitas generalis ut plurimum ad aliquot libras præscribitur.

Subscriptio est f. liquor pro fomento vel epithemate.

Vehiculum fomenti est linteum quadruplicatum, vel pannus laneus, qui plus liquidi imbibit & calorem diu servat si linteo duplicato sicco tegatur.

Usus *fomentorum multiplex, maxime ad resolvendos tumores & sananda ulcera conducunt.*

OXYCRATUM SIMPLEX.

R. Aceti ex vino.
Aquæ fontanæ aa ℔j.
Misceatur.

Usus. *Est commune fomentum quod inflammationes a causa externa ut a contusione, fractura, luxatione, & inde natas sugillationes sanguinis egregie resolvit.*

OXYCRATUM SPIRITUOSUM.

R. Oxycrati ſimplicis calefacti ℔j.
Spiritus vini camphorati ℥ij.
M. fiat fomentum.
Usus. *Efficacius quam ſimplex oxycratum contuſa & ſugillata loca reſolvit.*

VINUM AQUATUM.

R. Vini albi ℔j.
Aquæ fontanæ ℔ß.
Miſce.
Usus. *Vulnera inflammata & contuſa, quibus acetum nimis mordax eſt, reſolvit.*

FOMENTUM EX HERBIS RESOLVENTIBUS.

R. Specierum reſolventium Mij.
Aquæ fontanæ ℔ij.
M. coquantur.
Usus. *Hoc fomentum efficacius reſolvit ſi loco aquæ fontanæ cum oxycrato vel vino aquato vel aqua vegetominerali paretur.*

FO-

FOMENTUM EX FÆCIBUS VINI.

R. Fæcum vini recentium ℔j.
Aquæ fontanæ ℔ij.
M. coquantur.

Usus. *Hoc fomentum roborat, resolvit ac putredini resistit, unde in fracturis cum valida contusione & gangrænosa inflammatione complicatis, est ut vidi, efficacissimum remedium.*

FOMENTUM EX HERBIS CEPHALICIS.

R. Specierum cephalicarum Mij.
infundatur.
Vini albi calidi ℔ij.
Stent per ½ horam in loco calido.

Usus. *Contusiones capitis, faciei aut oculorum egregie resolvit.*

FOMENTUM EX HERBIS AMARIS.

R. Specierum amararum Mj.
Aquæ fontanæ ℔j.
M. coquantur.

Usus. *Adhibetur ut aliud fomentum resolvens, cum spiritu terebinthinæ mixtum ulcera*

& vulnera verminosa ab his insectis liberat & sanat.

FOMENTUM EMOLLIENS.

R. Specierum emollientium Mj.
Lactis ℔j.
M. coquantur.
Usus. *Ad inflammationes & indurationes resolvendas & ophthalmiam humidam curandam adhiberi solet.*

FOMENTUM ADSTRINGENS.

R. Aquæ calcis ℔ij.
Sacchari saturni ʒij.
Misce.
Usus. *Ubi partes relaxatæ contrahi ac roborari debent, convenit, ut in varicibus, hernia, œdemate, prolapsu, laxitate articulationum.*

FOMENTUM MARTIALE.

R. Martis solubilis ℥j.
Aquæ fontanæ ℔ij.
m. solvatur.
Usus. *Convenit ut fomentum adstringens ad laxi-*

xitates articulationum, œdemata & varices.

FOMENTATIO FRIGIDA.

R. Aquæ communis ℔xx.
Aceti vini ℔ij.
Nitri puri ℥viij.
Salis ammoniaci crudi ℥iv.
m. ſolvantur.

Usus. *Celeberrimus* SCHMUCKER *hac fomentatione cum ſumma efficacia uſus eſt ad gravia vulnera & contuſiones capitis, quæ cum cerebri commotione ac humorum effuſione complicabantur, & majorem effectum quum a fomentis calidis obſervavit. Poteſt hæc fomentatio frigida etiam ad hernias incarceratas adhiberi.*

FOMENTA SICCA.

Fomentum ſiccum ſeu *Epithema ſiccum* eſt pulvis medicatus, qui crudus vel ſacculo incluſus parti morboſæ imponitur.

Materies fomenti ſicci eſt omne ſiccum, quod in pulverem redigi poteſt. Farinæ cereales